



Urkunden-Sammlung zur Geschichte der auswärtigen Verhältnisse der Mark Brandenburg und ihrer Regenten

...

namentlich in Beziehung auf Anhalt, Bayern, Böhmen, ... und andere
Länder ; [Urkunden-Sammlung für die Geschichte der auswärtigen
Verhältnisse]

Riedel, Adolph Friedrich

Berlin, 1843

CCCCXXIV. Markgraf Woldemar von Brandenburg verkauft dem Kloster
Zomeschen oder Semmeritz in Polen das Dorf Poppe, am 27. Dezember
1312.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56055](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-56055)

CCCCXXIV. Markgraf Wolbemar von Brandenburg verkauft dem Kloster Zomeschen oder Semmeritz in Posen das Dorf Poppe, am 27. Dezember 1312.

In nomine Domini Amen. Actus humani generis in oblivionis lapsum decederent, nisi aliqua perennitate in futurorum notitiam deducantur. Hinc est quod nos Waldemarus, Dei gratia Brandenburgensis *), Lusaciae et de Landesberg Marchio, tutorque incliti Joannis Marchionis Brandenburgensis, recognovimus tenore praesentium protestantes, quod religioso ac in Christo devoto viro domino fratri Theodoro, abbati, conventui ac monasterio in Zomeschen, dedimus et per praesentes donamus donatione libera proprietatem villae Popove cum libertate omnimoda nihil nobis penitus in ipsa villa juris reservantes, quam praecariam, volentesque ut ipsam villam sub metis et distinctionibus possideant subnotatis. Meta prima est inter villam Popove et villam Draheim ad arborem finalem, stantem juxta fundum versus Draheim, ab hac arbore usque ad fontem Studenicz, directe inter Skwierzim**) et Popove, sicut ipse dominus Prymysel, rex Poloniae, distinxit cum praedictis civibus de Skwerin, de Studenicz, directe versus orientem usque ad Stagnum Saben, in quo una tractura piscium pertinet ad villam Popow et de hoc stagno versus fossatum argillae, et de hoc fossato usque ad fornacem picis, quae est post praedictum stagnum, et de hoc fornace usque ad pinum directe, in qua est cornu cervi, quae est in via de Mesericz versus Skwerin, et in his metis est situm stagnum dictum Glyst, item directe de hac arbore usque ad cumulos, qui facti sunt inter paludes Zarnblot et de his usque Zarnblot directe. Et haec sunt distinctiones inter Popow et Rugow; item metae inter Popove et Goritz, de Zarnblot usque ad quercum, quae resecata est, in qua est meta hoc et juxta stagnum Glambek, item de hac quercu directe inter Bledzow et Popove et Goritz usque ad montem, ubi sunt duo cumuli extensi et una arbor signata, quae facta sunt et signata tempore domini ducis Wlodislai inter dominum Benjamin et Bogumilum in Goriz, de hoc monte directe usque ad fluvium Obran in quodam fundo, ubi est quercus signata. Obligamusque nos ad hoc, ut dum primum dominus dictus Joannes Marchio ad annos discretionis pervenerit, praedicta omnia in omni sua parte de verbo ad verbum sua litera confirmabit. Proinde nobis dictus Abbas persolvit complete pro quolibet frustra proprietatis quinque Marcas, de quibus manere monasterium quietum ipsum penitus renuntiamus et dicimus per praesentes. In cujus facti evidens testimonium nostrum sigillum praesentibus est appenlum. Praesentibus Droysekino, Arnaldo de Uchtenhagen, militibus, Slothekino nostrae curiae prothonotario, cum aliis fide dignis. Datum Liewenwalde, per manum Herrmanni de Luchow, die B. Joannis evangelistae. Anno Domini MCCCXII.

Nach Raczyński, Cod. dipl. major Poloniae 94—96.

*) Nacz.: Brandenburgiae.

**) Vermuthlich: Schwerin.